



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XXX. Markgraf Ludwig d. R. vereignet für sich und seinen Bruder Otto dem  
Altare des Hospitales St. Georg bei Eberswalde zwei Winspel jährlicher  
Roggenpacht aus einer Mühle zu Klobbicke, am 22. Mai ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

fium, quorum et quarum memoriam solempnem in Vigiliis et Missis et divinis officiis peragere debent perpetue idem decanus et fratres in singulis conventionum ipsarum terminis annuatim, Deditur et solemni donacione donamus Jus patronatus altaris consecrati in honore sanctorum Jacobi Apostoli et Stephani Prothomartiris situati in Ecclesia sancte Marie parochiali Everswalde, quod in antea dum facultas se obtulerit ad idem altare personam ydoneam dyocesano loci presentare poterunt et debebunt, transferentes in eosdem Decanum et fratres Kalendarum, Presbiteros tamen solum et in solidum, merum et plenum Jus nostrum, quod in Jure patronatus altaris habuimus supradicti, quod ad eos perpetue et pacifice pertinere debebit. In cujus rei evidenciam sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in Everswold, anno a nativitate Domini Millesimo tricentesimo quinquagesimo nono, feria secunda post festum exaltationis sancte crucis. Presentibus Nobili Ottone Weynt, Domino de Ylenborch, ac strenuis Haffone de Wedel, residenti in Valckenborch, Johann Hufeneri, Frissone de Bertkow, militibus, Thyderico Morneri, Preposito Bernowenfi, Prothonotario nostro ac pluribus fide dignis.

Aus von der Hagen's Beschreibung, S. 265.

XXX. Markgraf Ludwig d. R. vereignet für sich und seinen Bruder Otto dem Altare des Hospitals St. Georg bei Eberswalde zwei Wispel jährlicher Roggenpacht aus einer Mühle zu Klobbische, am 22. Mai 1360.

Noverint universi et singuli tenorem presentium inspecturi, Quod nos Ludowicus Romanus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, sacri romani imperii Archicamerarius, Comes pallantinus Reni et Bavarie dux, nostro et dilecti fratris nostri Ottonis, Marchionis Brandenburgensis, nomine, ob jugem et perhennem Magnificorum principum, Marchionum Brandenburgensium predecessorum nostrorum bone recordationis, nostre, heredum ac successorum nostrorum memoriam, appropriavimus et presentibus appropriamus duos choros siliginis annui pactus, sitos in molendino dicto Vorde, sito prope villam Clobbik, quos quidem duos choros siliginis discreti viri consules civitatis nostre Eberswold a Strenuis viris Buffone et Zcabellone, fratribus, dictis Palmdach, sua propria pecunia comparaverunt, ad altare suum in Capella sancti Georrigi foris dictam Civitatem Everswold cum omnibus juribus, graciis, commodis et honoribus ad dictos duos choros pertinentibus perpetuis temporibus sine impedimento quolibet quiete et pacifice pertinendos. Renunciantes pro nobis, dicto fratre nostro, heredibus et successoribus nostris omni juri, accioni et impetitioni, quod vel que nobis in dictis duobus Choris competunt seu competere poterunt in futurum. In cujus rei Evidenciam sigillum nostrum presentibus est appensum. Presentibus Reverendo in Christo patre et domino, Domino Henrico Episcopo Lubucenfi, Strenuisque viris Haffone de Valkenborch, Haffone de Uchtenhagen, Hermanno de Wulkowe, Militibus, Henrico de Schulenborch, cum ceteris fide dignis. Datum Everswold Anno domini MCCCLX, feria sexta ante festum Penthecostes.

Aus v. d. Hagen's Beschreib., S. 269.